



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Co[m]mendatarij Casinenses. cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

Theate, Abbas 83. creatus anno 1395. die Nonarum Iunij: præfuit annis 24 plus minus. Obijt anno 1419. apud Spoletum vbi relegatus fuerat, & ibidem sepultus est. Vacauit sedes menses aliquot.

Pyrrhus Tomacellus Neapolitanus, Henrici Abbatis Nepos, Abbas 84. creatus anno 1419. mense Octobris: præfuit annis 18. Paulo ante mortem Abbatia priuatus, obiit apud Pontem S. Angeli, vbi vincetus tenebatur, anno 1437. ipsis calendis Nouembris, & ibidem in ecclesia S. Celsi sepultus est. Vacauit Monasterium, annos octo, menses sex, dies viginti tres. Nam Pyrrho Abbate ab Eugenio Papa. III. quod Spoletinam Arcem contra ipsius uoluntatem tenere & occupare presumpserat, anno 1437. in ordinem redacto, & in carcerem detruso, Monasterium Casinense gubernatum fuit per Priorem, & Subpriorem, annis octo, mensibus sex, diebus 23. vsque ad annum 1446.

Antonius Carafa Neapolitanus, Abbas 85. & ultimus, creatus anno 1446. die uigesimo quinto Maij, præfuit annis octo, mensibus octo, dieb. tribus. Obijt anno 1454. die primo Februarij & Casini sepultus est. Quo ex hac luce subtracto sacrum cœnobium Casinense in Commendam redactum, integro iubilæo in eo statu permansit, donec diuina operante uoluntate Vnioni & Congregationi S. Iustine de Padua, aggregatum fuit, vt infra patebit.

Commendatarij Casinenses. Cap. XIII.

Vno vire vis Scarampus Patauinus, Patriarcha Aquilegiensis, & S. R. E. Episcopus Cardinalis Albanus, Sacri Montis Casini primus Commendatarius, & Prælatus 86. creatus anno 1454. gubernauit annis plus minus vndecim. Obijt anno 1465. sexto Calendas Aprilis Romæ, & in ecclesia S. Laurentij in Damaso sepultus est. Vacauit Monasterium menses duos.

Paulus Papa. II. Barbus Venetus, Commendatarius secundus, & Prælatus 87. incepit, anno 1465. die 28. Maij, & gubernauit per legatos suos annis. 6. & mensibus duobus. Obijt Romæ anno 1471. quinto Calendas Augusti, ad S. Petrum sepultus. Vacauit Monasterium mens. 1. dies tres.

Ioannes de Aragonia, filius Regis Ferdinandi, Neapolitanus, S. R. E. Presbyter Card. T. S. Sabinæ, Commendatarius tertius, & Prælatus

latus 88. creatus anno 1471. circa calendas Septembris; gubernavit annis 14. mens. 1. dieb. 19. Obiit Romæ peste anno 1485. die 14. calendas Nouembris, in absida tituli sui sepultus. Factus est autem Commendatarius à Papa Sixto III. anno prædicto, cum esset ipse Ioannes Prothonotarius Apostolicus, & Clericus Neapolitanus: Gubernavitque Monasterium per Ludouicum de Borfis Episcopum Aquilanum, qui obiit Casini anno 1485. pridie Idus nouembris. Vacauit Monasterium diebus 25.

Ioannes II. de Medicis, Florentinus, Prothonotarius Apostolicus, deinde S. R. E. Card. S. Mariæ in Dominica, & postmodum Papa Leo X. Commendatarius quartus, & Prælatas 89. incepit anno 1485. die 14. Nouembris: Gubernavit annis 19. diebus octo, & iubente Papa Iulio I. L. Abbariam in manus eius resignauit anno Domini 1504. die 10. cal. Decembris. Obiit anno 1521. Romæ, iplis calendis Decembris, ad S. Mariam super Mineruam sepultus.

Aggregatio monasterij Casinensis ad Congregationem Sanctæ Iustine. Cap. XV.

ANNO Dominicæ Natiuitatis 1504. die 22. mensis Nouembris, cum Ioannes de Medicis, S. R. E. Card. & Commendatarius Casinensis, liberè Commendæ dictæ Abbatie cessisset, eodem die Iulius Papa II. Casinense Monasterium uniuert Congregationi nostræ S. Iustine de Padua; Voluitque prædictus Pontifex, ob honorem tanti monasterij, ut deinceps, Congregatio Casinensis, aliàs S. Iustine de Padua nuncuparetur. Eius uerò possessionem solenni pompa ceperunt RR. nostræ Congregationis Patres anno sequenti, die 12. Ianuarii: In qua R. P. D. Eusebius de Mutina, Abbas S. Petri de Perusio, dictæ nostræ Congregationis Præsidents: & R. P. D. Ignatius Abbas S. Mariæ Florentiæ, & præfatæ Congregationis Visitator, cum Monachis centum affuerunt. Vnionis autem prædictæ Bulla, Iulii II. extat cum alijs nonnullis, post finem chronici Casinensis excusa.